BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
42354
I Mag. St. Dr. P
kat.komp.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0003589



42354
I

Teol. pol. 8984.

Maikowski Cyprya-
nus a S. Laurentio
nat. 1664 + 1746

1894. I. 51

SEX ALÆ SERAPHICÆ, *DIVI* BONAVENTVRÆ

Religiosi Perfectione regiminis SUBLIMES.

Reverendis in Christo Patribus
Provinciæ Poloniæ & Lithvaniæ,
Scholarum Piarum
SUPERIORIBUS.

Ab Admodum Reverendo in Christo Patre
P. CYPRIANO
à S. LAURENTIO,
Ejusdem Religionis per Poloniã & Lith.
Præposito PROVINCIALI.
DEDICATÆ.

ANNO DOMINI 1721.

VARSAVIÆ
Typis S. R. M. Scholarum Piarum.

42354/1

DEDICATIO.

* * * * * * *

Diuturnâ plurium annorum experientiâ didici nõ publicam tantùm profanæ Reipublicæ ſalutem, ſed & omne ſtatus Aſcetici bonum ab exacta

cta regiminis pendere notitia. Patres in Christo Reverendi. Si enim illi, quos superna ad gubernium provexit dignatio, subjectas norint flectere voluntates, si hortari verbis & factis ducere, stantes firmare, & lapsos erigere, compati infirmis & fortes animare, odisse reatus, & reos Patris affectu prosequi, dissimulare plurima & nihil per conniventiam omittere, si deniq; juxta Tarsense Pauli oraculũ, omnibus omnia fieri probè calleant, vigebit regularis observantia, fervebit vocationis amor, fragrabit boni exempli odor, Ordinis deniq; gloria perennabit. Animam dixero bonum Religionis regimen, hâc vegetatum cujuslibet Congregationis corpus vivit immortaliter, hoc destituta spiritu Sanctissima quantumvis Instituta mortuales institas non evitant. Sit

suis

ſuis bene compaginata lateribus Argo, ſi tamen ſedens ad clavum Typhis ejus gubernacula tenere neſciat, vel in ſcyllas acta, vel ad ſcopulum alliſa, vel furentis Africi abrepta impetu naufragabitur; ſit Sacra DEO Familia, quã & pijſſimæ commendent leges, & publica probet utilitas, & meritorum illuſtret ſplendor, ibit in peſſum facilè, ſi illis regendi prædominetur inſcitia, quos velut Lucernas ſuper candelabrũ religioſi honoris propoſuit Dominus, ut luceant omnibus, qui in Domo DEI ſunt. Quare peritiſſimum hac in arte Magiſtrum D. BONAVENTVRAM propono vobis Reverendi in Chriſto Patres & in declivio officij quaſi ultimo voluntatis meæ conſigno teſtamento. Habetis hic perfectam vitæ Spiritualis normam, habetis aſcetici regiminis exemplar, quô veſtrum

ſtrum reguletis gubernium. Nulla hic invenitur linea, quæ ad regulam morum, ad amuſſim conſcientiæ non ſit recta. Zelum commendat juſtitiæ? nil æquius, quam ſi ſuum cuiq; tribuentes & virtuti præmia & vitijs pœnam non denegetis; quemadmodum ille Apocalypticus Senex, qui & ancipitem ore gladium in malos vibrat, & manu ſtellas præfert meritis ad coronam. Pietatem erga fratres inſtillat? nihil conducibilius, quam ſi & virgam juſtitiæ vibretis in noxios, & ſuſtinendæ proximorum infirmitati baculum ſolatij porrigatis, Samaritanum imitati, qui vulneribus illius Ierichuntini viatoris infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. Devotionem requirit? quid congruentius? quam ſi rerum temporalium momenta ita tractetis, ut ſemper præ oculis

lis æternitatem habeatis, ita Domesticis sitis alligati negotijs, ut animô liberi in cœlum subvoletis. Deniq; sive patientiam in adversis, sive exemplaritatem in factis, sive providam circumspectionem in agendis docet, omnia ad recti collimant perfectionem gubernij. Ergo hunc assiduo versate usu, ut Seraphicis subnixi Alis, una cum commisso vobis grege ad siderea regna possitis evolare. Quod omnibus & singulis ex corde opto.

Reverentiarum Vestrarum

Servus in Christo humillimus
CYPRIANUS à S. LAURENTIO,
Scholarum Piarum.
Præp. PROVINCIALIS.

S. BONAVENTURÆ

Eximij Eccleſiæ Doctoris Opuſculum.

quod inſcribitur.

DE SEX ALIS SERAPHIM.

IN hoc opuſculo S. Bonaventura Eccleſiæ Prælatos inſtruit ad regimen ſubditorum, quibus præſunt, & veluti Seraphim ſex alis ornari *Iſaias Cap*: 6. vidit, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes, duabus deniq; volabant: ſic etiam ſpiritualis Seraphim hoc eſt Prælatus Eccleſiæ Domino ſedenti ſuper ſolium excelſum & elevatum ſex virtutibus, quaſi alis ſex ornatus, aſſiſtere debet; quarum duas ſcilicet zelum juſtitiæ, & pietatem ſive compaſſionem fraternam ſuper caput elevet, medijs duabus, patientiâ & vitâ exemplari, corpus & pedes contegat: ultimis verò

duabus circumſpectione, & devotionis ſtudio, in latum & in altum volet. Undè his præcipuè virtutibus pollere debet, qui Eccleſiæ regimini præeſt, zelo juſtitiæ, pietate, patientiâ, exemplo vitæ, diſcretione circumſpecta, & devotione ad Deum. De quibus Auctor mirificè tractat in hoc Opuſculo.

CAPITA HUJUS OPUSCULI.

Quod incipientes propter multa Magiſtro indigent, Cap. 1.

Qui ſunt, qui Magiſtro non indigent. Cap. 2.

Quod prima ala Prælatorum, eſſe debet zelus juſtitiæ, Cap. 3.

Quod ſecunda ala Prælatorum, eſt pietas. Cap. 4.

Quod tertia Prælatorum ala, eſt patientia. Cap. 5.

Quarta Prælatorum ala eſt, quod ſit exemplaris in vita. Cap. 6.

Quod quinta ala Prælatorum eſt circumſpecta diſcretio. Cap. 7.

Quod ſexta Prælatorum ala, eſt devotio ad Deum. Cap. 8.

PROLOGUS.

Prov. 9. 6. *DA occaſionẽ ſapienti, & addetur ei ſapientia, ait ſapiens:* cum igitur ex

ex levi sæpè occasione, sapiens materiam sumat altioris sapientiæ, qui etiam plerumquè per alterius stultitiam sit eruditior, præsens scriptum potest novis, & nondum in officio regiminis ad plenum exercitatis, ad perfectam discretionem boni, & mali aliqualem dare occasionem ulterius cogitandi, & ex defectibus, quos hic considerat diligentiùs requirendi altiora, sive utiliora, & etiam plura, quam hic ponantur necessaria religioso ad regimen subditorum; quia legimus aliquando sapientes etiam ex naturali quadam brutorum animalium solertia, sumpsisse considerationis industriam, ad aliquas artificiales peritis excogitandas.

CAPUT I.

Quod incipientes propter multa Magistro indigent.

HÆc tibi scribo, *ut scias quomodo oporteat Te in Domo Domini con-* 1 Tim. 3. d.

versari, quæ est Ecclesia Dei vivi, ait Paulus discipulo suo Timotheo, quem præfecerat Ecclesiæ Ephesi Episcopum. Scribit duabus epistolis, dicens, quomodo conversari debeat in officio regiminis commissi, ut qui jam ab eo didicerat sanctè vivere per se, sciret etiam, qualiter deberet & alijs utiliter & meritoriè præesse. *Magna enim differentia inter scire humiliter subesse, & pacificè coesse, & utiliter præesse.* Bernar: Multos cernis sub magisterio quiete vivere, quos si jugo absolvas, verbis non posse quiescere, nec à qualibet re innoxios juvare. Rursum quosdam invenies, cum omnibus quantum in se est, pacificè vivere, minimè quidem egere Magistro, nec tamen idonei magisterio. Quâdam siquidem bona mediocritate contenti sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est. Socialiter enim inter fratres sciunt pacificè vivere, super fratres verò positi, non solum inutiliter præsunt, sed & insipienter & nequiter. Vtrisque ergò priori-

bus

bus meliores existunt, qui superiores esse sciunt. Unde non passim quemlibet de populo, docetur Moses cæteris præficere, sed eligere ex omni populo viros gnaros & idoneos, *qui judicent populum omni tempore.* Exod. 18. d. Qui enim suscipit officium, ut alios bonos faciat, oportet, ut hanc bonitatis disciplinam prius in se studiosè exercendo didicerit, & ex frequenti usu in habitum verterit. Unde Dominus prius legitur fecisse, quæ postea verbo docturus juxta illud Actorum: *Cæpit IESVS facere & docere.* Act. 1. a. Incipientes indigent magistro ut doceantur, quæ ignorant; scilicet, saluti suæ & profectui necessaria, & utilia quid vitare debeant, quid sapere, quid facere, quid sperare, quid timere, & inter minus vel magis, bona vel mala discernere, dicente Paulo: *Indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.* Heb. 5. d. Item *ut exerceantur in operibus virtutum*, quia non sufficit scire bonum, nisi etiam opere exerceatur. Sicut qui audit medicinæ scientiam, &

postea practicando exercet eam, quia exercitium operis, pleniùs imprimit menti cujuslibet disciplinæ peritiam, quam solus auditus. Et quia imperfecti segniter se in virtutum studijs exercere solent, expedit, ut ab alio ad hoc aliquando compellantur. Ideò magistri solent discipulos suos, quos perfectos cupiunt fieri, in diversis virtutum exercitijs occupare, modo in operibus humilitatis, modo fraternæ charitatis, modo sobrietatis, modo devotionis, modo patientiæ, castitatis, taciturnitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum, ut & ipsæ virtutes sic exerceantur, & usitentur, & vitia his contraria expugnentur; quia quantò magis virtus proficit, tantò plus vitium oppositum debilitatur, teste Apostolo, qui ait: *Educate illos in disciplinam* Item, *ut custodiantur, ne aut in peccatũ labantur, aut minùs discretè in virtutum operibus exerceantur.* Eph: 6. a. Teneræ enim mentes & à peccati affectu nondum plenè deterſæ, sæpè magis timore humano, quàm Divino à voragine pec-

peccati detinentur. Ideo talibus expedit, ſuperiorum magiſterio ſubijci, per quos à periculis retrahantur, ſicut parvuli à matre comminante ab aquæ merſione, & luporum morſibus, defenduntur. Nam ait ſapiens: *Servabit te ut eruaris de via mala, & ab hominibus, qui perverſa loquuntur.* Item, ut corrigantur, quia peccatum trahit ſemper ad deterius, ſicut una febris præbet ſæpè incentivum alteri graviori, & vulnus aliquando generat fiſtulam, niſi medicorum præcaveatur ſolertia. Ita, quí labitur in culpam, difficulter per ſe corrigitur, niſi fortioris auxilio fulciatur. Propter hoc enim vult Deus minoribus majores præeſſe, ut ſi ceciderint in peccatum, vel in aliquo neglientes fuerint & incauti, per eorum admonitiones, correptiones, còércitiones, & caſtigationes emendentur: quia ſi arbitrio ſuo relinquerentur, fortè nec reatum ſuum agnoſcerent, vel torpentes diutiùs in cæno volutarentur, vel profundiùs mergerentur, juxta illud Ju- *Proverb. 2. c.*

Jud. dæ: *Hos quidem arguite judicatos, & c.*
8. Necesse ergo est, eos magistro humiliter esse subditos: quia nisi quis medico obedienter obtemperet, non poterit ab infirmitate sanari. Infirmitates in homine sunt passiones vi-
Luc: tiorum, dicente Luca: *Dedit illis*
9. *a virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.*

CAPUT II.

Qui sunt, qui magistro non indigent.

QVi autem pro se magistro non indigent, debent ita esse scientiâ illuminati, quòd nihil errent in his, quæ scire necessariò eos oportet, & qui decipi non possint ab homine vel dæmone, vel à proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum divinitùs adepti,
Phil. juxta illud: *Vbiq; & in omnibus in-*
4. c. *stitutus sum.* Debent etiam fervore devotionis ita esse repleti, quòd sine alterius impulsu, noverint seipsos ad omne virtutis exercitium fideli-

deliter extendere, prout semper fuerit optimum, teste Paulo qui ait: *Quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ priora sunt extendens meipsum, &c.* Debent quoque amore boni sic esse affecti, ut quasi naturaliter omne malum horreant & omne scandalum studiosè declinent, & sine offensa quiete cum omnibus conversentur, *sine offensione*, Inquit Apostolus, *estote Judæis & gentibus.* Debent etiam ita esse humiles in omnibus, ut nec de bonis habitis extollantur, nec malis omnino carere præsumant, ut omnes excessus cogitationis, locutionis, & omissionis in se subtiliter dijudicent, & districtè castigando emendent. Et in his omnibus sint ita stabiles, quod nec levitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu, à statu suo valeant immutari. Unde Apostolus ait: *Quis nos separabit à charitate Christi? &c.* Quia verò tales difficile est reperiri; ideo paucis convenit vivere absque obedientiæ jugo. Ideo, & qui alijs præsunt, ut meliùs & cautiùs agant, ne-

Ibid. 30.

1. *Corinth.* 10. *g*

Rom. 8. *f*

ceſſe habent alijs ſubeſſe, à quibus regantur uſque ad ſummum omnium Pontificem, qui vice Chriſti caput eſt totius Eccleſiæ militantis. Qui ergo alijs præeſſe debent utiliter, oportet eos varijs eſſe præditos virtutibus, & alias habere ad ſe, quibus irreprehenſibiliter vivant, alias ad ſuos ſuperiores, quibus humiliter eis, in quibus debent, obediant, & alias ad ſubditos: quibus eos meritoriè regant, & ad meliora promoveant. Licet autem omnes virtutes eminenter habere debeat, qui ex officio habet omnes virtutes ducere; tamen quia numerus ſenarij eſt primus perfectus numerus ſui generis perfectione, conſtans ex ſuis partibus aliquotis: ideo bonus animarum rector, maximè religioſus, inter cæteros debet ſingularibus virtutibus præfulgere, ſicut Iſaias ſcribit dicens: *Seraphim, quæ ſunt præeminentiora Cæleſtium ſpirituum agmina, ſex alis ornata.* Et fortaſſe, ideo in tali ſimilitudine, Sanctiſſimo Patri noſtro Franciſco in illa

Iſaiæ 6. 2

glo-

glorioſa viſione Dominus apparuit, quando eum Paſſionis ſuæ ſtigmatibus inſignivit, ut oſtenderet: ſic alatos ſpiritualiter eſſe debere, qui ejus familiæ utiliter præeſſe deberent. Sic & quatuor animalia ſingula, ut dicitur in Apocalypſi, *habebant alas ſenas.* *Apoc. 4. c.*

CAPUT III.

Quod prima ala Prælatorum eſſe debet zelus juſtitiæ.

PRima ala rectoris animarum eſt zelus juſtitiæ, qua non poteſt aliquid injuſtum, ſine cordis murmure, in ſe & in alijs ſuſtinere. Tantum enim quiſque bonus æſtimandus eſt, quanto plus & priùs odit malum. Quantum enim res diligitur, tantùm de ejus deſtructione doletur. Unde notandum, quod ſunt quatuor genera hominum, in Religione vel in Eccleſia, quos bonos dicere ſolemus. *Quatuor genera hominum dici ſolent boni.*

Primi ſunt, qui malum non faciunt

ciunt, nec tamen in bonis operibus se studiosè exercent, ut qui quietè & pacificè cum alijs vivunt, nullum offendentes, nec pravo opere scandalizantes, ut habetur in primo Regum: *Homines isti satis boni fuerunt, & non molesti &c.* Nam in usu habemus, tales dicere bonos esse, qui mites sunt moribus, & socialiter se cum omnibus habent, licet quò ad virtutum exercitia, aliquatenus desides videantur. Pueri etiam baptizati eodem modo boni judicantur.

1. Re. 26. c

Secundi sunt meliores, qui mala nulla faciunt, insuper in bonis operibus se frequenter exercent, in sobrietate, castitate, humilitate, dilectione proximi & orationis instantia, & similibus, quæ intelligunt esse bona. Sed hoc habent proprium, quòd, sicut nihil negligunt ex his, quæ possunt & sciunt, ita etiam videtur eis sufficere bonum, quod faciunt, nec ad ampliora, & perfectiora Sanctitatis desideria incalescunt. Sufficit eis tantùm vigilare, tantùm orare, tantùm pro Deo dare, vel

jeju-

jejunare, vel laborare, & hujusmodi, & his contenti quiescunt, altiora alijs relinquentes. Undè Ecclesiastes dicit: *Deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius.* Eccl. 3. c

Tertij sunt adhuc his meliores, qui detestantur & fugiunt, & bona quæ possunt studiosè exercent, & cum omnia fecerint, quæ valent, parum se fecisse reputant, respectu eorum, quæ desiderant, scientes, quòd corporalis exercitatio *ad modicum utilis ab Apostolo perhibetur.* Et ideo viri mentales, & internæ devotionis saporem, & Dei familiarem notitiam, & amoris ejus experientiam suspirando desiderant, nihil se esse, vel habere judicantes, nec aliquam consolationem de temporalibus vel spiritualibus recipientes, quàmdiu pro voto prædictis virtutum exercitijs & devotionis dulcedine non fruuntur, nec tamen contra aliorum vitia, & peccatorum pericula zelo fervoris inflammantur, cupientes omnes esse bonos & beatos; 1. Tim. 4. c

tos; sed ubi hoc non inveniunt, nullo doloris vulnere sauciantur, sibimet intenti & Deo. Tales ad aliorum regimen vocati, minus in hac parte sunt idonei, quia propriæ quieti curam illorum postponunt. Juxta illud Judicum: *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suavissimos, & ire ut inter cætera ligna promovear?* Judic 6. b

Quarti sunt optimi, qui cum prioribus bonis innocentiæ & virtutum zelo justitiæ & animarum calent; qui non recipiunt consolationem de propriæ salutis profectibus, nisi alios secum trahant ad Deum exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exivit assumptâ formâ servi, multos filios in gloriam secum adducere opere & doctrinâ: zelus enim justitiæ quasi coccus bis tinctus duplici charitatis colore rutilat, amoris nempè Dei, & proximi. Amor Dei non tantùm desiderat ejus dulcedine frui, & ei adhærere, sed etiam diligit ejus bene-

beneplacitum impleri, ejus cultum ampliari, & honorem ſublimari. Vult enim eum ab omnibus agnoſci, ab omnibus amari, ab omnibus ei ſerviri, & ſuper omnia honorari. Amor proximi deſiderat non tantum ejus corporalem ſoſpitatem, & temporalem proſperitatem; ſed magis ejus æternam ſalutem. Ubi ergo charitas iſta perfectior, ibi ferventius deſiderium iſta promovendi, & inſtantius ſtudium & purius gaudium, ubi hæc invenit. Charitas enim, teſte Paulo, *non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei ſunt.* Quantum verò diligis Deum, & quæ Dei ſunt purius deſideras, tantum doles de offenſa Dei, ubi vides eum non agnoſci, & ideo inhonorari; ubi vides eum non amari, & ei non obediri, & ejus cultum deſtrui, & adverſarios multiplicari & lætificari. Et quantum diligis ſalutem proximi, tantum affligeris de perditione ejus & nocumento profectûs ejus. Et licèt hæc charitas requiratur in omnibus amicis Dei, maximè tamen

1. Corinth 13. o.

in

in vicarijs Dei, qui ſecundùm cor Dei moveri debent amore juſtitiæ, & odio iniquitatis, juxta illud Pſal-
Pſal. miſtæ: *Dilexiſti juſtitiam &c.* Juſti-
44.6. tia poteſt hìc dici obſervantia omnium, quæ ſaluti vel profectui animarum neceſſaria ſunt. Horum quædam procedunt à lege æterna, ut puræ virtutes, humilitas, caſtitas, charitas, miſericordia & ſimiles, ſine quibus nullus quocunque tempore poterit ſalvari, ad quæ etiam præcepta Dei in veteri, ac nova lege maximè ordinantur. Sicut Dominus dicit ad dilectionem Dei, & proximi totam legem & Prophetas
Matt. ſpectare, juxta illud Mathæi: *In his*
22.6.c *duobus mandatis &c.* Quædam procedunt ab humana vice Dei inſtitutione, ut quæ pet Eccleſiam pro communi utilitate Canonicè ſunt præcepta, ſicut ritus Sacramentorum, & aliorum ad juris poſitivi præcepta pertinentium, extra Canonum ſtatuta, ab omnibus obſervantur, ita, ut quilibet obſervet illa, quæ conveniunt ſuo ſtatui, & commu-

muniter omnibus imperata, laicis vel clericis. Quædam ex voto proprio proveniunt, ut ea ad quæ nemo cogitur, sed qui ea sponte voverit, jam velut ex præcepto Dei compellitur observare; ut continentia Religiosorum, & obedientia, & abdicatio proprij in monasterio, & alia quæ per regulam, vel cujusque Ordinis diffinitiones ejus professoribus imponuntur. Undè dicitur in Deuteronomio: *Cum totum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requirit illud Deus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, observabis & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Quædam procedunt ex quadam habilitatione profectûs spiritualis, quamvis aliàs non forent necessaria saluti, ut omnis disciplina Divini Officii, & singulorum officiorum in Religione, & officiorum, & temporum in silentio, victu & habitu, labore, vigilijs & *Deut. 23. d*

cæteris ſpiritualibus diſciplinis, in quibus ſingularum religionum obſervantiæ variantur, ſicut cuique viſum fuerit expedire. Quamvis autem in his non tanta vis ſalutis exiſtat, quaſi ſine eis non ſit ſalus; tamen transgreſſio eorum deformat religionis decorem, & profectum ſpiritualem, & aliorum ædificationem ſolet impedire. Sicut enim amor juſtitiæ, ſtudiosè iſta in ſe & in alijs promovet, & congaudet, ubi videt iſta ſollicitè obſervari, ita è contrario dolet, & uritur, & accenditur pro transgreſſione illorum cum Pſalmiſta qui ait: *Nonne qui oderunt te &c.* Quodam verò intimo ſapore diſcernit, ut magis doleat de gravioribus transgreſſionibus & de levioribus minus. Sapiens enim quaſque res ponderat, prout ſunt, tam bonas, quàm malas. Inſipiens autem quandoque magna pro parvis reputat, & levia quaſi maxima ponderat, trabem feſtucam judicat, aliquando culicem deglutiendo camelum. *Decimatis mentam &*

Pſal. 138.d

Luc. 11.f

rutam:

rutam: & relinquitis quæ graviora sunt ait Salvator: tales zelo proprio feruntur, & non spiritu Dei in hac parte aguntur. Sicut quidam pro una inclinatione in choro neglecta, plus accenduntur puniendo, quàm pro longa detractione de alio religioso excitata. Gravius indignantur pro versiculo & rubricula neglecta, quàm pro magna perturbatione cum scandalo procurata. Principaliter igitur cavenda & dolenda est transgressio præceptorum Dei, & deindè inviolabilium præceptorum Sanctæ Ecclesiæ, deindè illorum quæ sub voto voluntario sibimet quisque fecit necessaria, ut regulares observantiæ, maximè quæ sub præcepto sunt statutæ, deindè omnia scandala speciem mali quamcunque habentia, nempè avaritiæ, superbiæ, invidiæ, gastrimargiæ, iracundiæ, suspectæ familiaritatis, inobedientiæ, & similium vitiorum, quæ odorem famæ religiosorum, quo alij fideles debent ab eis ædificari, & ab eis discere, quid cavere debeant &

facere, fætere faciunt, ut magis per eos inficiantur scandalo, quàm reficiantur virtutis exemplo, dicente Apostolo: *Nomen DEI per vos blas-*
Rom. 2. *phematur inter gentes.* Faciliùs autem gravius peccatum occultum curatur, quàm tale scandalum, quia illud per secretam potest sanari pœnitentiam, scandalum autem vix avellitur à cordibus omnium, ad quos fortè pervenit.

Deindè cavenda est perturbatio studij devotionis, ex qua fulcitur omnis vera religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devotæ orationis frequentiâ non compaginatur, sicut paries lapidum sine cæmento. In omni Religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, &
Mat. propinquare ruinæ: *Lampades fatua-*
25. a *rum virginum sine oleo extinguuntur.* ut ait Matthæus.

Deinde cavenda est negligentia exte-

exterioris disciplinæ, quæ pro decore religionis, & habilitationis profectûs spiritualis statuta est, cujus desertio signum est neglectæ conscientiæ, & interioris levitatis. Talis autem disciplinæ observantia non ita mandatur, quasi aliter non liceat vivere, sed quia sic magis convenit propter honestatis conformitatem & uniformem fratrum conversationem, nè pro libito quisque vivat & faciat, undè fortè alij turbentur. In talibus autem observantijs, quæ in se indifferentes sunt, sed propter aliud statutæ, ut dictum est, major est habenda diligentia, ut benè serventur, quàm scrupulosè timendum, si ex aliqua surreptione quandoque transgrediantur; nisi fortè consvetudo generaret deformitatem, & dissimulatio negligentiam nutriret, tunc proprer aliud malum consequens præcavendum, zelus disciplinæ dormire non debet.

Verus igitur justitiæ zelator primò cavet, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat. Secundo nè

licentiet vel concedat quacunque importunitate seu circumventione mollitus. Tertiò nè faveat vel diligat fieri, etiamsi eo irrequisito fiat, vel absente. Quartò nè dissimulet & taceat quasi nescíens, cum ad eum pertineat arguere, & ostendere, quantum malum, & deterrere, nè ulterius audeant similia attentare. Quintò nè inultum esse patiatur, quia aliquod bonum parit peccati castigatio; scilicet, quòd ipse, qui fecit, prohibetur ultra peccare, dicente Domino: *Jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Item quia purgatur à peccato, nè à Deo postea duriùs puniatur, ait enim scriptura: *Tu virgâ percuties illum, & animam illius de inferno liberabis.* Item quia per hoc alij erudiuntur, ut caveant similia perpetrare, juxta illud: *Pestilente flagellato, sapientior erit parvulus*, id est, *tenellus & novus cautior esse discet.* Item ipse prælatus, vicarius superni judicis, liberat animam suam à peccato negligentiæ, officium suum sic implendo.

Ioan. 5. 2

Prov. 24. *b*

Prov. 18. *d*

Quod

Quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filijs peccantibus excepit: ut habetur in 1. Regum. In hoc enim differunt laudabiles religiones & jam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foveantur & diligantur, ut perseverent, & in melius semper proficiant. Nam cum in conventu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit pravitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quòd peccatum in eo non sit? quia etsi plurimi per DEI gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. *Vos mundi estis sed non omnes*; ait Dominus. Bonis enim, quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint majoris occasio meriti, quibus compatiantur in malis

1. *Reg.* 4. *d*

Ioan. 13. *b*

suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, à quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur, quia tales non sunt, admoneantur. Gratiarum actionis ei, qui custodit eos, nè tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tantò fierent etiam minora dicente Paulo: *Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Nec tamen diligendi sunt mali seu fovendi, sed tolerandi: maximè quorum occulta sunt mala, & alios non inficiũt, & est spes de correctione ipsorum. Ubi verò ista defecerit, ibi sine gravi detrimento sustineri non possunt: & ideò eliminandi sunt, nè putetur eorum pravitas bonis placere. Interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correctionum, confusionum, & castigationum; urgendi etiam fomentis exhortationum, consola-

Gal. 6. b

solationum, & orationum, & promissionum, si fortè convalescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est eis via peccandi, & tentationis aditus obstruendi, quod etiam bonis expedit, nè opportunitas mali faciat eos deteriores. Prælatus enim vicarius DEI, cui data est potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consvetudines malas oriri, & jam exortas roborari & dilatari, si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obviat tam præsentibus malis, quàm imminentibus, triplicem Deo reddet rationem.

Primò pro sua negligentia, quando non fecit ad quod officio tenebatur, nam ait sapiens: *Cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neq; secundum voluntatem ejus ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam judi-* Sap. 6. 2

judicium durissimum his, qui præsunt, fiet, &c.

Secundò quòd omnia peccata subditorum, quæ poterat & debuerat correxisse, & præcavisse, imputantur ei. Undè dicitur Ezechielis: *Si non fueris locutus, ut custodiat se impius à sua via, ipse impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezechiel, 33. c

Tertiò, pro abusione honoris, & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. *Tollite ab eo talentum*, ait Christus: *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores ibi erit fletus & stridor dentium.* Mat. 25. a Ostendat ergò bonus zelator, quantum diligat Deum, in eo, quod beneplacitum ejus in se & in alijs promoveat, nè ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec labore lassetur, nec consilijs flectatur, nec astutijs circumveniatur, nec amicitiâ, nec blandimentis deliniatur, nec minus terreatur, nec per diuturnæ pravæ consvetudinis præscriptionem

despe-

desperet, quin suum officium exequatur.

CAPUT IV.

Quod secunda ala Prælatorum est Pietas.

SEcunda ala hujus Ecclesiastici Seraph: est pietas, sive fraterna compassio, ut sicut eum charitas DEI ad zelum justitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi vitijs debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta: *Virga tua & baculus tuus &c.* & Paulo: *In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansvetudinis?* Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semivivi relicti, infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis, & utraque indiget compassione. *Psal. 22. a* *1 Cor. 4. d*

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectu-

lectulis, vel in acutis, vel in alijs infirmitatibus gravibus laborantes. Alij sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque de ambulantes, & tamen sæpè gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi & similes. Tertij determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, ut senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, seu quandoque accidentali languore ad tempus attriti. His est triplici pietate subveniendum, scilicet remedijs medicinalibus, si congruè potest fieri. Item relaxatione rigoris, in victu, vestitu, vigilijs, & hujusmodi. Item exemptione laboris, in officijs, servitijs, decursibus, & hujusmodi, prout cujusque necessitas exquirat: ita quòd primis de primo, secundis de secundo, tertijs de tertio, juxta singulorũ indigentiã specialiter succurratur. Omnis humanitas est infirmis & debilibus exhibenda, quia flagellati sunt à Domino: si super

hoc

hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum contra illos, qui eos tribulant conquerendo, dicente David: *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt &c.* Psal. 88. a Infirmus enim, quia afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his, à quibus deberet, non consolatur, non à labore relevatur, non subvenitur indigenti, nec habet sibi compatientem, juxta illud Propheticum: *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium exspectavit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel exprobrationis, & in siti mea potaverunt me aceto objurgationis.* Psal. 68. e Fiant ergò eis, quæ sequuntur &c. Bonus autem Prælatus agnoscit se fratrum suorum Patrem, non Dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis;

sed

sed ut filios hæreditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes, & sani non sentiunt, quod sentit æger, ideò nesciunt eis compati; scient autem postea cum dolebunt. Quòd si obijciant, quia sæpè fingunt se quidam debiliores, quàm sint, numquid propter hoc omnes sunt hypocritæ judicandi? è contrariò pro paucis justis, ut habetur in Genesi, multis malis Dominus voluerit peperciſſe.

Gen. 18. d

Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis, quàm sani & robusti: Primò propter sustentationem vitæ, quia seipsos non valent procurare, si tunc etiam ab alijs non procurantur, coguntur deficere, & non possunt subsistere, juxta illud: *Nè penitus pereat, qui abjectus est.* Secundò propter restaurationem sanitatis & virium, quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus & fortis solus indigeat sustentamento, ut quod habet, conservet æger; & debilis indiget

2. Reg. 14. c

diget duplici refectione, nè pereat, & perdat, quod adhuc habet, & reparet quòd amisit, dicente Domino: *Ab eo qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur.* Tertiò propter consolationis relevamen, quia cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cum vident alios sibi compati, & ad reparationis suæ studium fideliter cooperari: & dicunt cum Saul: *Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.* Luc. 19. d. 1. Reg. 13. c.

Sed dicunt aliqui: Illis debilibus dignè subvenitur, de quibus est spes convalescentiæ, in illis verò de quibus non præsumitur; quòd aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc rectè diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter rerributionem humanæ utilitatis, deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut cum sanatus fuerit, benefactum illud servando retribuat, merito charitatis se privat. Ubi enim major miseria, ibi clarior misericordia

dia apparet, & purior charitas. Expedit ergò Prælatum, quandoque experiri infirmitates cæterorum: ut
Heb. 4. d discat compati, juxta illud: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris &c.*

Infirmorũ mente tria genera. Infirmorum mente etiam sunt tria genera. Primi, qui ex devotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala, & peccata, ex facili occasione vacillantes, & ad lapsum proclives, ut ait Apostolus: *Inter vos multi infirmi,*
1. Cor. 11. *& imbecilles. &c,*

Secundi, qui licèt bonæ voluntatis sint, & devoti; tamen ex levi correptione. vel invectiva, objurgatione effecti pusillanimes, aut coincidunt in quãdam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam; undè postmodum dolent, & cæteri quãdoque turbantur. Undè Paulus:
Rom. 15. a *Debemus nos firmiores, imbecillitates &c.*

Tertij sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studijs sæpè vacillant, & varijs passionum

fionum febribus sentiunt se interdum etiam reluctantes pulsari, modò elationis, modò iræ, modò acediæ, & invidiæ, concupiscentiæ, gulæ, & aliorum vitiorum, tam carnalium, quàm spiritualium, qui dicere debent cum Psalmista: *Miserere mei Domine, quoniã infirmus sum. &c.* Psal. 6. Remedia his infirmitatibus adhibenda sunt, ut subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, nè videant undè infirmentur, vel audiant, & nè sæpè permittantur extra domum vagari: Dina enim, ut ait scriptura, egressa domo corrupta est: & per exhortationes crebras exemplis patientiæ, confortentur, & à duris increpationibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis & alijs offensis, quibus perturbentur. Unde Apostolus: *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant,* Col. 3 d Qui enim ampliùs commovet satis per se commotum, quasi provocat contra se canem latrantem, ut mordeat eum. Item æquanimiter mores, &

imperfectiones eorum ſupportentur
Eccl. 1. d. in ſenſu. Nam dicit ſapiens: *Non omnes omnia poſſunt.* Sicut autem rudibus, & minùs peritis, ſolent Doctores eorum imperitiæ ignoſcere, cùm minùs rectè ſentiant, ita & virtuoſi benignè ſupportant aliorum defectus, ſcientes, quòd non omnes poſſunt æqualiter eſſe perfecti, & quaſi parvulis & teneris in Chriſto graviora, quàm quàm valeant portare, onera non imponunt, nec ab eis exigunt ea, quæ vires ipſorum excedunt. Hinc *Gen. 33. c* in Geneſi: *Nôſti quòd parvulos habeam teneros & oves, & boves fætas mecum, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur unâ die cuncti greges* hoc eſt. Qui parvulos imperfectos, & aliquam bonam habentes voluntatem, quaſi fætus in utero, plus urget in exercitio virtutis, quàm ſecundum gratiam, quam acceperunt; etiam illud quod jam habent, ſupra vires agitando, extinguit in eis: quod prævidens Paulus ait: *1. Th. 2.* Facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, *tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos, quòd*

ita

ita humiliter & piè blandìtus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini & imperfectioni. Quo contra de duris, & non compassivis pastoribus conqueritur Dominus: *Quod infirmum fuit, non solidastis, & quod ægrotum, non sanastis, & quod fractum non alligastis, & quod perierat non quæsistis. Sed ea austeritate imperastis eis, & cum potentia, &c.* & Bernardus: *Vt quid gravatis jugum vestrum, cum cernitis discipulorum, quorum vos potiùs jugum portare debetis? Ponite onera, producite ubera, pecora lactate, quiescant.* Et si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica juxta illud: *Porta eos in sinu tuo, sicut portat nutrier infantulum suum, & defer in terram, pro qua juravi, &c.*

Eccl. 34. a

Bern: serm: 23. in Can. ante med, paucis mutatis.

Num 11. c

CAPUT V.

Quod tertia Prælatorum ala est. patientia.

TErtia ala Ecclesiastici Seraph: est patientia & constans longanimi-

tas. Sicut enim tectum tabernaculi, ut interiora munda manerent & nitida, excepit in se pulveres, & imbres, & ventorum impulsus, ita superiores, qui fideliter subditos suos defendunt à turbine peccati, necesse est sæpè diversarum excipere tempestates adversitatum, sicut gallina pro pullis se obijcit milvo, ut eos defendat.

Patientia in tribus necessaria Prælato.

Tria verò sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maximè videtur. Primò propter multiplices labores & curas, & occupationes diversimodè emergentes, Cura enim continua urget eum, tam de spiritualis providentia disciplinæ, quàm de corporalis subsidij provisione. Undè & Apostoli non solùm de spiritualibus, sed & temporalibus fidelium necessitatibus, maximè pauperum, soliciti erant, juxta illud: *Iacobus & Ioannes & Cephas dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in Circumcisionẽ, scilicet Euangelij prædicationem extenderent, tantùm ut pauperum*

Gal. 2. b

Chri-

Christi memores essemus, quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere, &c. Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cùm aliundè non haberent, refecit. Occupationes quoque variæ tam ex domesticis curis, quàm extraneis causis frequentes emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, & quomodo se illis expediat, anxiari. Ex his etiam labores plurimi crescent discursuum, vigiliarum, & tractatuum, & aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est, ita, ut Moyses mitissimus, & Deo familiarissimus propter hoc, in plures onus gubernationis populi sit partitus, quasi non valens tot negotia sustinere, sicut scriptum est: *Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus, ac jurgia, date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, & ponam vobis eos Principes &c.* *Mar. 6. f* *Deut 1. e*

Secundò est ei patientia necessaria, pro tardo profectu illorum, in

quibus continuò fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere, videt post, quia per multos conatus suos, ea quæ multo labore in modico jam emendari cæperant, ex facili iterum dilabuntur, & propter plures difficultates, & obstacula profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui, sicut qui multa seminavit, & pauca conspicit oriri, videt etiam quandoque, quæ personaliter jubet & ordinat, negligenter impleri & servari, & sæpè sub specie boni, latenter malum subintrare, ita quòd non audet apertè ut malum redarguere, cum bonum in superficie appareat, & tamen in fine per hoc majus bonum destruitur, & apertioribus malis aditus aperitur, verbi gratia, ut multi salventur, plures quam opportunè tenere possumus, recipimus. Sed ipsa tandem multiplicatio, erit paupertatis nostræ obfuscatio, dum plures velint pluribus gaudere, non carere : indè sequitur frequentior discursus, pro

acqui-

acquirendo neceſſaria, exquiruntur viæ inſolitæ in petendo, incautiùs agitur contra regulam; vel recipiendo: quies devotionis extinguitur, mores religioſi in deſvetudinem vertuntur, conſveſcunt fratres libenter euagari, & diverſa carnis commoda foris venari, familiaritates in regula prohibitas, contrahere, munera à confitentibus quærere, ædificationes animarum pro queſtu vendere, divitibus adulari, arcas dilatare, ſumptuoſa palatia exaltare, ſcandala non curare, & Dei honor, qui ex noſtra ſancta converſatione, & aliorum exindè ædificatione provenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur. Idem eſt de præpropera promotione juvenum, & nondum probatorum ad ordines, & officia confeſſionis, prædicationis, & prælationis. Idem de pluribus quæ coram hominibus ſunt alicujus apparentiæ, ſed religionis puritatem interiùs coram Deo obſcurant, & rudes in religione, qui internè non ſapiunt, putantes in his

exterioribus honestatibus, totam vim spiritualis conversationis constare, magno zelo eas defendunt, & de veris virtutibus, & spiritualibus non curant. Hæc & alia plurima videns spiritualis prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, uritur, & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur, dicit cum Prophe-
Psal. ta: *Tabescere me fecit zelus meus, &*
118. *f* *zelus domûs tuæ comedit, &c.*
& Ps.
68. *b* Tertio necessaria est ei patientia, pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, scilicet quod vix unquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quod aliter posset eis & melius facere si vellet, quòd sæpè perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere, & acquiescere in omnibus, quæ cupiunt, vel rigidè tenere, quòd credit esse magis expe-
Phil. diens, juxta illud Pauli: *Quid eli-*
4. *a* *gam ignoro, coarctor enim &c.* Item quòd invertuntur ei plurima quæ facit, & interpretantur ad deterius,

& su-

& ſuper his viſitant eum, & murmurant, & accuſant, & detrahunt ei, & ſumunt indè materiam ſcandali, unde putabat ſe Deo & ipſis obſequium præſtitiſſe, ita, quod vix in aliquo poteſt inveniri remedium, in hoc quod ordinat, aut quod facit, quin ſemper aliquibus diſpliceat & turbentur. Item, quòd etiam in faciem quidam reſiſtunt ei, vel literis arguunt eum, & deſpiciunt, & concitant alios, ut ſe ei opponant, vel aſtutè impediunt, nè poſſit perficere quæ debet. His & alijs adverſis quibus diverſimodè impetitur, triplici patientia ſtudeat ſe opponere. Primò ut modeſtè & maturè benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum fervoris reprimat, nè in voce aut vultu ſeu moribus impatiẽtiam oſtendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuosè agendo ampliùs provocaret. Sic Gedeon *Iudic* modeſtè reſpondens viris Ephraim [8]. contra ſe jurgantibus, compeſcuit ſpiritum eorum, quo tumebant.

Nam

Prov 15. a Nam teste sapiente: *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Vix enim commotio commotione sedatur, & vitium vitio non sanatur. Impatientia enim prælati confundit, quæ promovere poterat bona. His modis alios scandalizat, Prov 14. d juxta illud: *Qui impatiens est exaltat stultitiam suam,* scilicet alijs pandendo. Reddit enim subditis & alijs contemptibilem, ut dicitur in Pro- Prov 12. b verbijs: *Qui vanus & excors est, patet contemptui.* Facit eum exosum & horrendum, juxta illud Eccle- Eccl. 9. d siastici: *Terribilis est in Civitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Provocat alios ad impatientiam, dicente scriptura: Prov 15. c *Vir iracundus provocat rixas, qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Non audent ei subditi necessitatem suam aperire, juxta illud Job: *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies.* Job. 4. a Replet domum murmure, & ranco- Prov. 11. d re, ut patet in Proverbijs: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos,* scilicet conspirationum. Teneros

mente

mente fugat, & pusillanimes facit, sicut dixit Salomon: *Spiritum ad iracundum facilem quis poterit sustinere?* Prov 18. c
Nemo audet eum monere de his, quæ forent emendanda, ut patet in primo Regum: *Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.* 1. Reg: 25.

Secundo studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injurijs, nec in corde oderit illos, nec curam segnius agat: nec quærat eos, à se removere, imò lubentius teneat eos ut per hoc & illos & alios ædificet, benefaciendo ingratis, & ut per se virtutis exercitium in eis habeat; exemplo summi Pastoris, qui ait: eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est, super ingratos & malos. Cum enim sit propriè officium pastoris docere virtutes, si vitiosos removet à se quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? si fortis tyro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodò poterit ditari? Indè est quòd

inter

inter alios tot Sanctificati sunt Episcopi, & Prælati; quia tam agendo bona, quàm patiendo adversa, & alios ædificando, ad alta perfectionis culmina officij sui occasione pervenerunt, dicente Paulo: *Qui Episcopatum desiderat &c.*

1. Tim. 3. c.

Tertio si patiens, non minus sit voluntarius, & studiosus ad exequenda ea, quæ officij sui solicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectûs, vel importunitates subditorum, vel alia gravamina, quia sic ad alta merita pervenitur, juxta illud: *Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro.*

2. Par 15. b

Istæ manus Prælati sunt instantia in agendo, & patientia in sufferendo, quod gravat: quæ si non dissolvantur per desidiam, seu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur. Per has namque adversitates rector à peccatorum pulvere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis surreptione: In multis enim offendimus omnes, etiam in pluribus negotijs

2 Reg 7. b

gotijs plures negligentiæ sæpè fiunt, à quibus purgari necesse habent hic Prælati, nè illic duriùs puniantur, juxta illud: *Si iniquè aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* 2 Reg 7. b

Item per has dum deprimitur, à tumore superbiæ custoditur, quæ potentibus periculosiùs insidiatur, dum & sublimitas officij, & libertatis licentia, & boni operis placentia, facilè mentem ejus extollerent, nisi adversitatis jugum collum præsumptionis ejus humiliaret, & sic à superbiæ voragine defensaret: Nam in Job legitur: *Erudiens instituit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum desuper eruens animam ejus à corruptione, & vitam illius, ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lecto &c.* Custos enim salutis, & profectûs boni rectoris est humiliatio adversitatis, sine qua eam successus prosperitatis citò relevasset in ventum præsumptionis. Undè David secundum cor Dei electus, quando premeba- Job, 33. b

tur

tur adversis, devotissimus fuit & humilis; quandò autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis, ipso attestante cum dicit: *Bonum mihi quia humiliasti me &c.* Item ut dictum est, meritum ejus exindè multiplicatur, dum non solùm pro bonis, quæ in se & alijs promovet, gloriam acquirit, sed & pro adversis, quæ patitur magnificè coronatur, sicut aurum quod per ignem probatum, fit pulchrius & pretiosius, sicut scriptum est: *Tanquam aurum in fornace probavit &c.* Sæpè autem spiritualis profectus crescit, dum non sentitur; & roboratur, cum magis infirmari putatur, juxta illud: *Sic est Regnum Dei, quem admodùm si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & crescat dum nescit ille &c.* Non autem mirum, si omnes conatus rectoris, non proficiunt in omnibus; cum nec Dei operatio in omnibus proficiat ad salutem ipsorum; & multi sint vocati, & pauci electi. Omnia enim quæ semi-

Psal. 118.

Sap. 3. b

Mat. 4. c

Mat. 22. b

seminantur, non convalescunt, & qui thesauros effodiunt libenter multam terram eruperant, ut modicum auri, vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni rectoris, quantum foret detrimentum, si non esset, sicut lux tantum est bonum, quantum ejus absentia malum. Animare etiam debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minùs meretur in illis, qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quàm in his qui maximè proficiunt. Non enim dicit Apostolus: Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum profectum, sed secundum suum laborem. Dei enim est incrementum dare, plùs enim laborat doctor in indocili, quàm in docili discipulo: & ideò apud istum æstimatorem laboris, plùs meretur. In terra sterili & saxosa agricola plus laborat, & si fructus paucior, sed pretium majus. Et quæ difficiliùs elaborantur, sæpè cariùs venduntur. 1. Cor. 3. b

CA-

CAPUT VI.

Quarta Prælatorum ala est, quod sit exemplaris in vita.

QVarta ala est, ut sit exemplaris in vita. Ipsa namque debet cæteris esse norma vivendi, ut quæ docet verbis, ostendat actionum figuris; sicut qui Geometriam docet, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, ut quòd dicit, meliùs capiatur: nam dicitur in Actis: *Cæpit* IESVS *facere, & docere.* & alibi. *Exemplum dedi vobis ut quemadmodùm ego feci vobis, & vos ita faciatis.* Gedeon ait suis: *Quòd me facere videtis, hoc facite.* Quamvis igitur non solùm in præfatis, sed in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos, specialiter tamen in tribus: scilicet in communis observantiæ conformitate, in mansvetudinis humilitate, & in maturitatis honestate. Undè Apostolus: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate,*

Act. 1. a

Ioan. 13. b

Iudic 7. c

Tit. 2. b

&

& in gravitate. Communem vitam cum cæteris obſervet, in victu, veſtitu, & labore, ut non vacet convivijs, & potationibus, cum alijs ſobrio cibo & potu utatur, nec ſit eis diſſimilis habitu, cum quibus eſt ei profeſſio communis. Nec à labore cæterorum ſe ſubtrahat, qui illos jubet in eisdem laboribus exerceri. Paſtor ſi ſe à grege ſegregat, oves inſidijs luporum exponit. Sanus ſit ſanis, & infirmus infirmis, velut alter Paulus, qui dicebat: *Factus ſum infirmus infirmis*, ſcilicet exemplar, ut infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. Nam ſi ſanus, debiliter vivat, facit eos exemplo ſuo carnales. Si verò infirmus recuſat infirmorum remedia, facit eos puſillanimes innuens, quòd aut velit eos ſimiliter facere, aut non cupiat eis, ut meliùs fiat illis. Alacriùs certat miles in acie, ſi ducem ſuum ſecum cernit laborem certaminis tolerare. Undè in Actis dicitur: *In omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos* 1. Corinth 9. d Act. 1. d

Dominus JESVS, *incipiens à baptismate Joannis, usq; ad diem, quâ assumptus est à nobis, &c.* Hoc est à primo tempore, quo cæpit habere discipulos post baptismum, usque quo ascendit ad Patrem, semper exemplo suo erudivit nos; intrans, familiariter cum discipulis vivendo? & exiens utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando.

Sit etiam humilis moribus, ut mores ejus ostendant eum, non alta de se sentire, nec affectare prælationem, sed timere, & coactum tenere, & magis desiderare subesse, & eos quibus præest, meliores se, judicare, & eorum potiùs se servum, quàm magistrum vel Dominum reputare. *Luc. 22. c* *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator,* ait Dominus: *Ego autem in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat &c.* *Eccl. 23. a* Undè in Ecclesiastico dicitur: *Rectorem te posuerunt, &c.* *Eccl. 23. a*

Sit etiam humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus

quibus indigent, audeant; & patienter eos audiat, & benignè eis satisfaciat, & studiosè instruat, & alacriter exhortetur, studeat magis amari, quàm timeri, quia lubentiùs obeditur ei, qui diligitur, quàm qui timetur. Obedientia dilectionis propriæ est voluntaria, timoris autem magis est coacta. Quanto ergò illa habet de voluntario, tanto sublimior est in merito, finis autem officij regiminis est, commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad similia virtutum merita fideliter promovere. 30

Sit etiam humilis in usu rerum temporalium, ut nihil habeat pomposum, vel diligat, sed omnia quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent, & humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa, pallia, & hujusmodi, ut nihil in omnibus appareat, quòd notam jactantiæ, vel curiositatis habet, nec talia fieri ab alijs patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta

sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium curiosa quærere, pretiosa affectare, & excelsa ambire. Nam scriptum est: *Omne sublime videt, ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Job. 41. d

Maturitatis honestas perpenditur in tribus; scilicet, si non sit levis in moribus, videlicet in verbis, & jocis scurrilibus, & irreligiosis, quæ licèt in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reverendum faciunt & verendum. Gregorius enim dicit: *Non facilè ejus prædicatio recipitur, si levis in moribus videtur.* Nam & si Prælatus, magis diligendus sit, expedit tamen ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo svavior sentitur, cum reverentia mixtus. Quod patet in amore summi Conditoris; cujus quo Majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidiùs amatur, sicut dicit Propheta: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit.* Greg. ho. 3. in Ezech. ante med. Psal. 24. b

Item si non sit levis in affectu

per

per privatos amores notabiles tam ad fæminas, quam ad quaslibet leves perſonas. Licèt enim majores in affectu præferendi ſint minoribus, & omnes propter ſpem ſalutis in Chriſto amplectendi ſint, in actu tamen exterioris exhibitionis, taliter ſe gerat ad omnes, ut nullus ſe ab eo contemni propter alios ſuſpicetur, ſed quilibet ſe ab eo diligi præſumat, & fiducialiter ei quaſi ſingulari amico confidat: nẽ alicui indignatio, & invidia in alijs nutriatur, ſicut fratres Joſeph qui oderunt eum, pro eo quòd à Patre ſingulariùs amaretur, ut dicitur in Geneſi. *Gen.* 37.

Item ſi non eſt levis in propoſito, & inconſtans in conſilio, ut quod jam placet, mox diſpliceat, modo velit unum, modo contrarium, ubi rationabilis cauſa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel voluntati ſe contemperet, quem in neutro ſtabilem agnoſcat? Ideò ejus ſubjecti non poſſunt ejus revereri prudentiam, nec ſciunt ſe parare ad voluntatis ejus obedientiam, & in

utroq; non potest esse modicum nocumentum. Propterea dicit Paulus:
1. Th. 5. d *Omnia probate, quod est bonum tenete, & facite, sine hæsitatione, & retractionibus, quæcunq; facitis.* Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis vel piæ utilitatis, vel aliter aliquid fieri expediat, non est hoc levitatis, sed maturitatis; quia sicut stultum esset melius mutare in deterius, sic etiam stolida est obstinatio, tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori bono, & aperto ab eis flecti non possit, juxta illud:
Esth. 16. b *Nec putetis si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reipublicæ poscit utilitas ferre sententiam.* Undè & Apostolus excusat se: Cum promiserit Corinthijs se venturum, quòd non levitate hoc promiserit, sed eorum utilitate, cum dicit: *Vo-*
2. Cor 1. *lui prius venire ad vos &c.* & in Ec-
Eccl. 10. a clesiastico: *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.*

Boni magistri bonos discipulos face-

facere consveverunt, ut frequentiùs, multi fierent meliores in religionibus, & in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla à suis auctoribus proponuntur. Negligentia verò hujusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districtè in judicio requiretur. Nam Dominus dicit: *Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Ezechiel. 34. c Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum, & invalidum. Ipsi liniebant parietem absque temperamento, dic eis, quòd casurus sit. De correctis exemplaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Ezech. 13. b Tenaciùs inhæret doctrina operum, quàm verborum. Nam cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. Rector enim præcipuè ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat Christiformes, id est formam vitæ ad doctrinam Christi eis imprimat, ut non solùm mente eum attendant, sed & moribus imitentur. Undè Apostolus ad Ephesios dicit:

Eph: 5. a Gal. 4. c *Estote imitatores DEI sicut filij, &c.* & ad Galatas: *Filioli mei: quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis.* Sed cum ex verborum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam ejus visibilem in seipsis ostendere, ut eis profundiùs imprimatur, dicẽtes cum 1. Cor 11. a Apostolo: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi:* quasi dicat: si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus cõsiderate. Et ad Galatas: *Vivo autem* Gal. 2. d *jam non ego, vivit verò in me Christus.* Vicarius enim Christi, vicem Christi debet gerere, in beneplaciti ejus promotione, in potestatis ejus auctoritate, & in similitudinis ejus repræsẽtatione, scilicet ut ea quæ vult, promoveat in subditis, ut ejus auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, ut eum se imitabilem illis moribus, & vita demonstret, idem dicente Apostolo alibi: *Non enim nos-* 2. Cor 4. b *metipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum,* nos autem servos vestros per Jesum. Ille verò

seipsum

seipsum, & non Christum prædicat, qui gloriam propriam quærit dicendo, & qui malis exemplis se potiùs, quàm Christum ingerit subditis imitandum. Nam dicit Apostolus: *Æmulantur vos non benè, sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini*, hoc est, non bono zelo præsunt vobis, qui per sua prava exempla excludunt vos ab imitatione Christi, ut mores eorum discatis & exempla sequamini. Gal. 4. c

CAPUT VII.

Quod quinta ala Prælatorum est circumspecta discretio.

QVinta ala Ecclesiastici hujus Seraph: est circumspecta discretio & provida faciendorum considératio. Quæ quam necessaria sit rectori animarum, Salomon ostendit: qui habens à Deo postulandi, quæ vellet, optionem, prætermissis omnibus, petivit sapientiam, sine qua asseruit, non posse populum benè regi. 3. Re. 3. b

Sap. 6. a

Psal. 2. b

Mat. 5. b

gi. *Dabis ergo Domine cor servo tuo docile, ut judicare possit populum tuum, discernere inter bonum & malum*, & alibi dicit: *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excedatis.* & Psalmista? *Et tunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Rector enim est dux gregis sibi commissi, & si ipse erraverit, grex in dispersione confusus, interibit. Sicut oculus est lux totius corporis, ita pastor, gregis commissi, juxta illud: *vos estis lux mundi, &c.* Secundùm quòd oculus est clarus, & obscurus, sic etiamcorpus ab eo regitur directè, vel per devia.

Duplex circumspectio rectoris necessaria.

Duplex ergo circumspectio rectori necessaria est, ut sciat quid agendum sit; & qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi benè fiat, ideſt sicut docet Bernardus; *Tolle discretionem, & virtutium erit*, sine ipsa zelus præcipitat teste Apostolo, qui ait; *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam*; Item compassio condescendit usquequaque sub specie pietatis,

sicut

ficut dicitur in Proverbijs, *Qui parcit virgæ, odit filium*, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit, animam ejus ad interitum mittit. Item patientia sine discretione, remissum in regiminis vigore facit, cum sub specie humilitatis rebelles non reprimit, unde scriptum est; Quod Roboam erat rudis, & corde pavido, nec poterat resistere eis, scilicet qui se Domino & sibi opposuerant. Item, sine discretione qualecunque bonum exemplum, inefficax fit ad ædificandum alios, sicut bonus cibus non est delectabilis, sine condimento salis: ait Leviticus: *In omni oblatione tua offeras sal*: & Apostolus dicit: *Rationabile obsequium vestrum*. Si rectè offeras, rectè autẽ non dividas, peccasti: hoc est, bona facere non sufficit, nisi discretè qualiter, quandò, ubi, quare agendum fuerit, videatur.

2 Par. 13. b

Levit. 2. c

Rom. 12. 6

Gen. 4. a sec. LXX

Quamvis autem plurima sint, circa quæ oportet rectorem esse circũspectum, quæ non possunt breviter poni, tamen quatuor videntur præcipua

Rector circa quatuor sit circumspectus

cipua, in quibus debet ejus providentia vigilare. Undè dicitur in E-
Exod xodo: Iubetur Pontifex ingrediens
28. c ſanctuarium, ut miniſter Domino, inter alia ornamenta ſemper in pectore rationale judicium deferre, & in ipſo quatuor ordines gemmarum, ita quòd quilibet ordo tres lapides contineat pretioſos, auro incluſos. Pontifex Domino miniſtrans, ſanctuarium ingreditur, cum Prælatus curam animarum ſuſcipit, ut in earum ſalvatione Deo gratiſſimum præſtet obſequium. Nullum enim Deo gratius ſacrificium, quàm zelus animarum. Qui inter alia virtutum inſignia, ſemper debet rationis judicio, quatuor ad officium ſuum ſpectantia, in pectore verſare. Primùm eſt, quomodò in ſtatu debito, commiſſos ſibi gubernet, ut boni ſui proficiant, & perſiſtant. Secundùm, quomodò lapſos & devios corrigat, & emendet. Tertium exteriora negotia, quæ requirũtur, adeò congruè diſponat. Quartum, quomodò ſe in his cuſtodiat,

&

& gerat. Tres lapides in singulis versibus sunt, tria ad singula eorum quatuor pertinentia, ad statum debitum tenendum convenit, ut rector omnium subditorum, mores, conscientias & vires perspicuè agnoscat, ut secundum quòd unicuique expedit, onus observantia regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt æqualiter, & unus quasi proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Undè in libro Numerorum dicitur: *Aaron, & filij ejus intrabunt, ipsi quoque disponent onera singulorum, & dividunt quid portare quis debeat*, Aaron & filij ejus sunt Prælati majores, & minores, qui debent intrare, id est interiora cujusque agnoscere, & secundùm quòd convenit singulis, onus religiosæ conversationis imponere, & propter triplicem observantiæ qualitatem quæ sunt tres lapides pretiosi, in primo versu quatuor ordinum prædicatorum. Num 4. a

Prima observantia consistit in illis, quæ sunt juxta cujusq; profes-

sionis

sionis formam de necessitate salutis, quæ ita annexa sunt ordini & regulæ, ut eorum transgressio temeraria, inducat mortale peccatum, ut est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas, & alia præceptoriè imperata, in quibus locum non habet dispensatio magistri, cùm & ipse sit ad ea servanda ligatus. Hæc necesse est Prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere, ab omnibus studiosè servari, & nolentes cogere ad servandum, & pro nulla causa permittere, quantùm in se fuerit, aliquem contrariè, etiam si magna propter hoc sibi, & fratribus tribulatio, seu dispendium immineret. *Quis nos separabit à charitate Christi*, ait Paulus: *tribulatio, an angustia? an persecutio, an fames? an nuditas, an periculum, an gladius?* quasi dicat: non debet. Hoc est contra illos qui dicunt, si sic, vel sic non acquireretur necessitas fratribus, nec possent hic aliquatenùs sustentari. Cùm talis forma conquirendi est contra regulam, & in scandalum, & reli-

Rom. 8. f

religionis deformitatem: meliùs est ibi non esse Religiosos, ubi non possunt, vel non volunt vivere, ut religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alij de ipsis scandalizantur, dicente Domino: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut &c.* Mat. 18. a Quid ergò qui multos & magnos scandalizat? Ista consideratio prima debet esse gemma lucens in pectore Pontificis, ideſt, præ omnibus curanda.

Secunda versatur circa illa, quæ spectant exercitium altioris perfectionis, scilicet singularis patientiæ, admirandæ humilitatis, stupendæ charitatis, arduæ sobrietatis, eximiæ paupertatis, & sublimis devotionis, & similium virtutum, ad quas debet rector commissos, exhortationibus, monitis, & exemplis efficacibus afficere, & attrahere, magis, quàm invitos cogere. Consilia enim perfectionis svadentur, non imperantur, præter ea, quæ in voti emissione exprimuntur, ut Continentia. Præcipua tamen causa Monasticæ institutionis

tionis fuit, ut esset schola palæstra-
Palæ lis exercitij perfectionis, Palæstra ut
stra. dicitur, fuit ludus nudè luctantium, qui se oleo perungebant, nè à colluctantibus teneri possent, & ita ad terram dejci. Et aptè similatur à Paulo luctamini religiosorum, cum
1. *Cor.* 9. dicit: *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Rector igitur & hanc gemmam ferat in pectore, ut sectatores suos doceat, & provocet, non solùm viam tenere, quâ salventur, sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in Cælo gloriam assequantur.

Tertia consistit in illis, quæ nec sunt de pura necessitate salutis, nec de eminentia perfectionis, sed tamen ad utriusq; acquisitionem, & conservationem, à sanctis Patribus aptè statuta sunt, ad exercitium bonorum operum, & decorem ipsius religionis, & ad ædificationem intuentium, ut sunt; jejunia, silentium, solemnitas Divinorum Officiorum, & exteriores corporalium exercitationum honestates, quæ juxta Apo-

stolum

ſtolum tam utiles ſunt, ſicut inſtrumenta pro artificijs, quæ poſſent & aliter peragi à peritis, cum priùs fuerint artes, quàm talia inſtrumenta. Undè diſcretus Prælatus, cùm neceſſitas exigit, vel major utilitas requirit, diſpenſat in cauſa; pro talibus, pro loco & tempore, ſine difficultate, cum viderit expedire. Ubi autem major utilitas, vel neceſſitas non exigit, ſtudiosè faciat ea ſervari. In hoc indiget Prælatus non modicâ diſcretione, ut ſciat inter rigorem & remiſſionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus, & ipſe minus erit dilectus fratribus, & illi minus erunt voluntarij ad alia quæ utiliora, & neceſſariora forent. Rursùm ſi fuerit plus quàm convenit remiſſus in talibus, citò major diſſolutio ſubſequetur. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet, ait ſapiens.* 1. *Tim.* 4. *b* *Eccl.* 19.

Circa lapſorum correptionem diſcretio Prælati ſimiliter vigere debet. Hic eſt ordo ſecundus, tres gemmas continens, quia triplex con-

niventia, ad hoc est necessaria, sicut sunt tria genera delinquentium. Quidam enim cum deliquerunt, mox aut intùs moti à spiritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. Hic cum clementiæ fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis sic temperata debet adhibere, quibus & satisfaciat Deo de offensis; & proximo de scandalo, ut cæteri peccare magis timeant, & tamen propter levitatem remedij ipsos non pœniteat, se pœnitentiæ submisisse, nam
Gal. 6. dicit Paulus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis* Subaudi medici *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans temetipsum, &c.* Id est, talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatûs sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium compati, si tali peccato delinqueres. Et hæc est una gemma secundi ordinis, discretio talis. Alij cum delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, & virus interius latet:

Et

Et licèt rector ex certis indicijs deprehendat ibi ſaniem putridam eſſe collectam, tamen non ità erumpet exterius, nec per evidens teſtimonium, nec per voluntariam confeſſionem, quòd poſſit opportunè ferro apertæ correctionis ſecare, ſi corripit, non proficit, & videtur magis vitiorum diffamator, quàm vitioſorum corrector: ſed movetur & diſſimulat, uritur, & anxiatur, tàm pro anima fratris, quàm pro ſe; quia non corrigit delinquentem. Cùm ergò aliud congruè facere non poſſit, oportet, diſſimulet, patientiam ſuam exerceat; & quòd arguendo non valet, orando laboret obtinere, ut aut Deus citiùs demùm corrigat, aut latentem ejus malitiam detegat, ut aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Judam proditorem, diu tacitè toleravit, quòd eum apertè non corripuit, donec in tantum ejus iniquitas crevit, quòd per ſe patenter erupit. Quæ quamdiù latuit, licèt in ſe lethaliter ægrotaret, tamen alijs non no-

cuit, & ideò irreprehensibiliter potuit tacitè tolerari, nam dicit Dominus in Matthæo: *Sinite utraq; crescere usq; ad messem id est*, zizania cum tritico, & in Apocalypsi dicitur: *Qui in sordibus est sordescat adhuc*. Debet tamen talibus, ubi potest cautè caveri ab occasione peccandi; & in communi moneri debent, ut resipiscant juxta illud: *Væ homini isti, per quem Filius hominis tradetur*, sed cùm ad tam singulare facinus, non potuisset Judas subitò prorumpere, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus, apparet eum à Domino in malo statu diu occultè toleratum. *Isaiæ* 57. *Ego tacens & quasi non videns* Talis ergò dissimulatio in corde rectoris, multâ discretione indiget, ut in neutro deviet à justo. Et hæc est gemma secundi ordinis, secunda in pectore sacerdotis. Tertij offendunt graviter, apertè, & non recipiunt debitam correctionem, vel fictè recipiunt, quia non emendantur, & alij ex eis fiunt deteriores, vel scandalizantur de ipsis, vel imi-

Mat. 13. *d* *Apoc. ult.* *Mat.* 26. *c* *c*

tari

tari eos incipiunt, si vident eos impunè peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Ubicunq; ergò quatuor illa conveniunt, scilicèt, graviter, apertè peccare, & non esse spem correctionis propter obstinationem seu inveteratam mali consvetudinem, & alios inficì, per ejus exemplum, vel scandalizari; quia talia tolerantur: quid restat, nisi ut ovis morbida abijciatur, & membrum putridum præcidatur, nè sana indè inficiantur, & corrumpantur? Undè dicit Apostolus: *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant*, & ad Corinthios: *Auferte malum ex vobismetipsis*. Quòd infidelis discedit, discedat. Et Lucas dicit: *Succide ergo illam*, scilicet ficum infructuosam, ut quid etiam terram occupat? & Matthæus: *Omnis arbor quæ non fert fructum bonum excidetur*. Et in Numeris: *Præcipe filijs Israel, ut ejciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit pollutusq; est super mortuo, nè contaminent ea, cum habitaverint vobiscum, &c.* At ista tamen

1. Cor 5.
2. Cor 7. c
Luc: 13. b
Mat: 3. b
Num 5. a

non debent impetu fieri, sed maturo consilio prudentûm, & spiritum Dei, & donum consilij habentium, Eccl. 32. d *Omnia cum consilio fac! & post factum non pœnitebis*, & in Matthæo: Math 18. *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Hoc est cujus vita in habitu religionis magis scandalizat simplices, quàm ædificet, expedit, ut foris missus, solus damnetur, quàm per eum sacra religio contaminetur.

Tertius ordo versatur circa negotia quæ per Prælatum sunt disponenda, quorum alia expedit, ut alijs disponenda committat, alia per seipsum disponat, alia præcidat, & removeat, quantùm valet. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ut Judæ loculos, sibimet retinuit prædicationis & curationis officium, ut patet in Luca: Requisitus enim ut inter fratres quosdam hæreditatem divideret, respondit: Luc. 12. b *Homo; quis me constituit judicem, aut divi-*

viso-

visorem inter vos? Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia, si per seipsum voluerit actu disponere, impeditur ab interiorum & meliorum provisione, quia sparsus ex se mentis oculus minùs videt interiora, & necessariora saluti. Undè in Exodo dicitur: *Esto tu populo in his quæ sunt ad Deum: & levius feres partito in alios onere*, scilicet leviorum, ut in Actis: *Non est æquum vos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, &c.* Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret, potiùs deberet ab alio fraudē in temporalibus pati, quàm ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi, qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare, juxta illud: *Fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur portabat.* Hoc est contra illos qui facilius inveniunt, quibus curam animarum committant, quam rerum suarum temporalium: cum incomparabiliter majus sit dispendium periclitari animas, quam

Exod 18. *e*

Act. 6. *a*

Ioan. 12. *n*

res perire. Spiritualia verò & quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, & profectum virtutum principaliter debet animarum cuſtos & rector ſibimet curanda retinere, cum hæc ſint de ſubſtantia Officij Paſtoralis, & de his maximè ſit in judicio rationem Domino redditurus. Hæc ſunt: qualiter regula ſtudiosè ſervetur, & alia ſtatuta, & ordinis diſciplina. Item, quòd pax & dilectio inter fratres. Item ad ipſum pertinet conſcientias ſingulorum agnoſcere, de quibuslibet perplexitatibus, expedire, pericula peccatorum prævidere & præcavere, monere fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare ſingulos, qualiter officia ſibi commiſſa congruè adminiſtrent, quò & fratribus, prout convenit, ſufficiant, & conſcientiam non offendant. Ubi verò non poteſt hominibus ſatis fieri, niſi cum offenſa Dei, ibi ſervetur ad Deum obedientia, & ad homines patientia, & dicamus cum Petro: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Act. 5

Præla-

Prælatus verò gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cum alia membra debita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidendo provideat, quasi omnium sensuum capax & omnia regens, & sensum, & motū omnibus transmittens, per jussiones, vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam cōpaginatione nervorum: unde & caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum provisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat, & loquitur; sic & Prælatus sibi commissis. *Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus reddituri*, ait Apostolus. Superflua verò & non necessaria saluti, vel profectui animarum negotia, expedit præcidere, & tam à se, quàm à fratribus quantùm opportunè poterit removere. Cum enim propter temporis brevitatem, & diei malitiam, vix necessarijs sufficimus disponendis, si supervacuis vel alienis volumus occupari negotijs, negligimus utiliora, *Heb.* 13.

&

& meliora, cum distractus animus ad plura, fit minor ad singula providè peragenda. Indè fit aliquoties, cum Prælati & religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant ædificiorum, librorum, causarum, & aliorum, quibus fructiosiùs carerent, ut non solùm meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpiùs inquinent, & ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis, ad contemplationem spiritualium & internorum, & tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxij affluunt, ubi fuerit in corpore læsio, nisi cautè removeantur, nè fiat ibi tumor, vel ulcus; ita & negotia crescunt ad intentionem spiritûs, qui se eis acquieverit occupari. Ideò discretio Prælati debet providè prospicere quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, vel quantùm expediat ea exequi, circumspectè rimari.

Eccl. 11. [b] Ait enim sapiens: *Fili nè multi sint actus tui.* Qui sarcinam satis gravem portat, imprudens est, si adhuc

onera

onera plura ſibi portanda imponit, quibus poteſt opportunè carere.

Super omnia verò debet ſemetipſum rector circumſpicere, nè alijs providens ſeipſum negligat: nè alios ſalvans, ſeipſum in periculum demergat, *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Mat. 26. b Hic eſt quartus ordo gemmarum triplici circumſpectione: quaſi pretioſorum trium lapidum ornatu complendus, ait enim Joannes: *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis,* 2. Ioan. ſupple, in alijs: ſed ut mercedem plenam ſuſcipiatis.

Una circumſpectio ſui, verſatùr circa conſcientiæ ſerenitatem, ut illa ſemper ſecura ſit & munda. Secura ſit, ut nihil velit, agat, jubeat, vel permittat illicitum, & indecens, profeſſioniq; ſuæ contrarium, in quo peccatum, ſeu ſcandalum deprehendatur. Munda, ut de bonis quæ fecit, vel promovet, gloriam ab hominibus non captet, nec ſibimet exindè immoderatè placeat ſo-

lius

lius Dei, beneplacitum in omnibus quærens, ut quæ pro eo facit, id est, vice Dei, etiam purè faciat propter eum & ipsius amorem. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, hoc est, si intuitus intentionis purus fuerit charitate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ. Si autem nequam fuerit, &c. Scrutetur ergò conscientiam suam solicitè dijudicans quid egerit, quid omiserit de agendis, & quo fine bona fecerit, & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat, & caveat, de bonis verò non in se, sed in Domino glorietur cum Apostolo; qui ait: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: Qui pulverem ab alijs detergit, vix potest transire, nisi & ipse pulvere respergatur* quem etiam in se detergere necesse habet, juxta illud: *Medice cur a te ipsum.* De bonis verò quæ facit sic lætetur, ut indè non extollatur, æstimans quòd non propter se, sed propter alios quibus præest, Deus dederit ei benè facere,

Mat. 6.

1. Cor 11. g

Luc. 4. d

vel

vel dicere, vel sentire.

Alia circumspectio sui versatur circa exteriores mores, & verba, quibus oportet eum alijs magis quã sibimet deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, & satisfacere singulis, & omnibus placere, multâ indiget discretione, ut medium valeat tenere, nè sit nimis tristis vel hilaris, nimis severus, vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis durè loquens vel blandè, nimis rigidus vel remissus, nimis sæpè cum hospitibus vel rarò, nimis lautè reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum observans vel dissimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, & similia. Cum ergò non possit semper teneri, quòd de omnibus placeat; minus tamen deviat, si ad benignitatis partem plùs declinat; per quàm redditur subditis magis amabilis, ob quàm libentiùs obtemperant, & audaciùs ad eum recurrunt, in quibus indigent, & alacriùs imitantur. Ipsa enim potestatis

ſtatis auctoritas facit eum ſatis timendum ſubditis, etſi huic jungitur auſteritatis ſeveritas, pavidis fit mentibus oneroſa. *Vos autem cum auſteritate imperabitis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oves meæ* dicit Dominus: Et in Eccleſiaſtico: *Noli eſſe quaſi leo in domo tua, ſubvertens domeſticos tuos.* Hinc eſt quòd ipſe ſummus Princeps Paſtorum Dominus JESUS tantam nobis benignitatis charitatem exhibuit, ut ſe faceret amabilem, & ita imitabilem, ut per amorem ſuæ humanitatis, traheret ad amorem & cognitionem ſuæ Divinitatis, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur. Sic & Vicarius Chriſti Prælatus, ad hoc maximè ſtudeat à ſubditis diligi, ut ſic faciliùs trahat eos ad amorem Chriſti. In omni tamen dubio ſemper magis inclinat ſe ad illud, quod ſecundùm veritatis judicium virtuti charitatis & humilitatis, & profeſſæ puritati magis conſonat, & Evangelicæ perfectioni.

Eze. 34. *a*

Eccl. 4. *d*

Ultimò etiam ipsa discretio, quæ cætera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, nè ei contingat ut oculo corporis, qui cum alia videat, non videt seipsum: videlicet plùs sapiat quàm oportet sapere, nè sibi plùs credat quàm expedit, nè sit sapiens in oculis suis, quia teste Beato Gregorio: *sicut subditorum tentatio est, reprehendere in Prælatis, quod in multis non rectè agant, ita Prælatorum tentatio est, quod se cæteris Sapientiores æstimant.* Undè dicitur: *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus.* Stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium à sapientibus, ne decipiatur: ille autem de se plùs quàm debet præsumit, etiam ubi errat, rectè se plerumque sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuiq; Christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum & solùm reputat justum, quòd

Greg in sen su lib 25. mor. 14.

Prov 26. b

quòd ipse sensérit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. Ait enim Psalmista: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Ibi enim libentiùs insidiatur, ubi majores meritorum divitias cernit inquiri, ut ibi innocentem inquirat & occidat, ubi se Deo magis obsequium præstare sperabat. Undè cautum est semper rectori, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex humilitas consistit. Primò, si alij idem sentiunt, quòd & ipse, securior est quòd non decipiatur. Secundò quidquid fecerit, cùm prudentium consilio, si aliquid indè evenerit contrarij; minùs ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu id fecisset. Tertiò quid sæpè in merito humilitatis tulit, Deus dat ei agnoscere per se, vel alium, quòd ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Petri soceri sui gratum habuit & servavit. Hinc Apostolus Paulus

Psal. 9. c

Exod 18. c

Gal. 2. a

us Spiritu Sancto repletus, Evangelium quòd per revelationem IESU Christi didicerat, ipsius instinctu ascendens Hierusalem, cum Petro & Joanne & Jacobo coapostolis suis contulit, ut esset securior in prædicando, cum ab eis non discordaret, & exemplum per hoc daret fidelibus Prælatis consilium requirendi: *Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis*, ait scriptura. Alioquin verò cum ad officium regiminis assurgunt, ita se continuos, repletos spiritu scientiæ reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta judicent & perversa: alij verò è contrariò cum ab eodem absolvuntur officio, quæcunque successores eorum faciunt, simili modo condemnant, non attendentes, quòd sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alij possunt despicere, huic dicit Isaias: *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Nullorum enim facta tam studiosè solent ab alijs observando notari, sicut illorum qui aliorum facta severè dijudicant, si

Eccl. 32. *d*

Isaiæ 33. *a*

fortè in quo ipsi alios arguunt, reprehensibiles deprehendantur.

Sunt enim duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facilè debet recipere, scilicèt adulatores, & detractores. Primi istorum seducunt eum, ut magis de se, quàm expedit, præsumat: Isai. 3. c. juxta illud: *Qui bonum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*, nè de te vera sentias, humilitate propriæ cognitionis: secundi inducunt eum ut pejus, quàm habet, de alijs suspicando sentiat, & sæpè innocentes condemnet, & priusquàm veritatem rei plenè cognoscat, dicente scriptura: *Aures prin-* Esth. 16. a *cipum simplices, & ex sui natura illud æstimantes, callida fraude decipiuntur*, & malis quorumdam suggestionibus, regum studia depravantur, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt, ut omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, &c. Cùm autem tribus de causis soleat requiri consilium, scilicet,

propter

propter emendationem, ut discatur de quo dubitatur, propter auctoritatem ut magis habeat vigoris quòd per tales consultum fuerit, & propter pacem, nè habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam, consulendi sunt prudentiores, propter secuudam nominatiores, & propter tertiam omnes ad quos negotium pertinere videtur. Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria, non potest dari certa & communis regula, quæ valeat, pro omnibus.

CAPUT VIII.

Quod sexta Prælatorum ala est devotio ad Deum.

SExta & ultima ala, sine qua reliquæ perfici non valent, maximè est necessaria, ut sit devotus ad Deum per quem zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exem-

plum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc unctio spiritûs, docens de omnibus, quæ expediuntur saluti undè dicit Joannes: *Vos unctionem habetis à Spiritu Sancto, & nostis omnia & non necesse habetis ut aliquis vos doceat:* Sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, Devotio mentem illuminat ad cognoscendum quid sit melius. Undè Dominus dicit: *Docebit vos omnia & suggeret, &c.* Inflammat ad appedendum bonum. Undè & in Ecclesiastico dicitur: *Qui edunt me, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, &c.* Roborat ad perficiendum: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Facit horrere peccata, dicente Psalmista: *Iniquitatem odio habui.* In Apocalypsi, liber comestus dulcis gustu, amaricat ventrem. Actiones ordinat ad virtutes: sicut dicitur in Canticis: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Mores exteriùs componit & verba, sicut dicit Tobias: *Nunquam cum ludentibus miscui*

2. Ioan. 2. d
Ioan. 14. d
Eccl. 24. c
Phil. 2. c
Psal. 118.
Apoc. 10. d
Cant. 2. a
Tob. 3. c

niſcui me, neq; cum eis qui in levitate ambulant. Scientiam fidei dulcẽ reddit. Sapientia enim ſecundum nomen ſuum eſt, id eſt, ſapida ſcientia, ſpem in fiduciam erigit. *Ipſe enim Spiritus S. reddit teſtimonium nobis, quod ſumus filij DEI.* Amorem Dei accendit nam dicit: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per ſpiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Deo familiarem efficit juxta illud: Loquebatur Dominus cum Moyſe, ſicut homo loqui ſolet ad amicum ſuum. Dat fiduciam impetrandi petita, ſicut habebat Joannes cum dicebat: *fiduciam habemus ad Deum, & quodcunque petierimus accipiemus.* Orationem impinguat Pſalmus: *Holocauſtum tuum pingue fiat,* & in Eccleſiaſtico, ait enim: *Impingua oblationem.* Pium & affectuoſum facit, juxta illud: *ſuavis, humanus, & benignus eſt Spiritus ſapientiæ.* Cor humiliat, ut ait Iſaias: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, &c.* Oleum ſpiritum premit in olla fervente. Contra adverſa

Rom. 8. c

Rom. 5. a
Exod 33. b

1. Ioan. 3.

Pſal. 19. a
Eccl. 38. b

Sap. 7. b

Iſaiæ 66. a

constantiam præstat. Undè dicit
Psal. 26. a Psalmista: *Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo.* Et Apostolus:
Rom. 8. g *Quis nos separabit à charitate Christi:* Omnia opera bona delectabilia facit
Sap. 8. d juxta illud: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium, sed lætitiam & gaudium.* Mentem in superna elevat, Si direxerit ad Deum cor suum spiritum ejus & flatum ad se trahet. Mundum vilescere facit
Eccl. 1. c dicente Ecclesiaste: *Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce omnia vanitas.* Desiderare cælestia cogit. Hinc A-
Phil. 1. e postolus dicit: *Coarctor è duobus desiderium habens, dissolvi, & esse cum Christo.* Peccata delet, & pænas
Luc. 7. g peccati. Undè ait Dominus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Merita sublimat, teste sa-
Sap. 8. a piente, qui ait: *Si divitiæ appetuntur, quid sapientiâ locupletius, quæ omnia operatur?* Proximos maximè ædificat.
Eccl. 45. c Undè dicitur: *Offerte illi incensum dignum in odorem suavitatis.* *Et Christi*
2. Cor 7. d *bonus odor sumus.* Dæmones fugat. Nam fumus ejus extricat omne genus

nus dæmoniorũ. Angelos invitat & Sanctos: ait enim Psalmista: *Prævenerunt Principes conjuncti Psallentibus*, & Tobias: *Quandò orabas cum lachrymâ, &c.* Hæc & multa alia devotionis gratia confert. Ideò præcipuè rector animarum studiosus esse debet, eam habere, per quam semper informetur, quid faciat, adjuvetur & possit, conservetur nè deviet. Non enim solùm pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis, qui sibi commissi sunt quos non sufficit sine Divino auxilio custodire. *Nam nisi Dominus custodierit civitatem, &c.* Est enim Prælatus mediator inter Deum & subditos, ut sicut negotium Dei gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promovere, placendo, gratiam impetrando, & conservando à malo. Unde scriptum est: *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos, &c.*

Tob. c 12.

Psal. 126. a

Deut 5. a

Alia autem devotio communis, alia specialis, alia assidua. Commu-

Triplex devotio.

nis in Divinis officiis: ſpecialis in orationibus, aſſidua in omnibus agendis. Circa Divina triplicem debet habere diligentiam; devotionis, ſcilicet ut omnia fiant ordinatè & non confusè ſine erroris hæſitatione: ut quiſque deputatum miniſterium congruè exequatur. Unde dicit:
1. Cor 14. g *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis*: nam dicitur in Paralipomenis: David & omnis exercitus ſegregaverunt in miniſterium Domini, qui prophetaverunt in citharis, pſalterijs, & cymbalis, ſecundùm numerum ſuum dedicato ſibi officio ſervientes. Item ut ſtrenuè & non pigrè ſeu deſidiosè opus Domini, ſcilicet Divini cultûs officium
1. peragatur. Quia agit Hieremias: *Ma-*
Par: *ledictus qui facit opus Dei fraudulenter,*
25. a *&c.* Item, ut devotè & reverenter ſine aliqua diſſolutione, & ſtrepitu diſtinctè & attentè Divina officia perſolvantur, ſicut in conſpectu Angelorum, & in præſentia Dei ſicut
Eccl. dicitur in Eccleſiaſtico: *In omni cor.*
39. d *de & ore collaudate, & benedicite Nomen Domini.* Offici-

Officium enim Divinum in Ecclesia Spiritus Sanctus ordinavit fieri quinque de causis.

PRimò propter imitationèm Cæleſtis concentûs, quo Sancti Angeli in cælo aſſiduè in præſentia Dei ejus laudibus ſint intenti. Undè dicit Pſalmiſta: *Beati qui habitant in domo tua, Domine in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Cùm enim ſecundùm promiſſionem ſuam dicat Dominus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*, hic dignetur Chriſtus nobiſcum eſſe veraciter tàm ſacramentaliter, quàm ſpiritualiter; dignum eſt, nos ei pro modulo noſtro aliqualem exhibere reverentiam honoris, & laudis, juxta exemplar ſimilitudinis Cæleſtis, ut ei etſi non continuè ſicut illi Cæli Cantores: ſaltem interpolatim pro noſtra fragilitate pſallendo, alacriter aſſiſtamus imitantes illam quæ ſurſum eſt, Hieruſalem matrem noſtram, ut ait Paulus

Pſal. 83. a

Mat. 28. d

Secun-

Gal. 4. d Secundò ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias pro his laudando, & orando, ei jugiter referamus, qui natus in nocte ex Maria Virgine, manè judici passurus assistitur, diluculo resurrexit, horâ tertiâ flagellatur, & post Spiritum Sanctum misit Apostolis, sextâ crucifixus, nonâ in Cruce pro nobis mortuus, vespere cænans, Corporis & Sanguinis sui nobis Sacramenta tradidit, & completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantùm ejus nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed & præsentiæ suæ gratiam exhibet, & sub forma Sacramenti nos seipso spiritualiter pascit. Si ergò justum est, nos horum nunquam oblivisci, ita expedit, ea semper recolere certis horis. Unde Isaias ait: *Miserationum Domini recordabor, laudem ejus super omnibus quæ reddit nobis.*

Isaiæ 63. b

Tertiò, ut nosmetipsos sic assiduè ad devotionem excitemus, & ignem amoris Dei per hoc nobis, ne per desidiam, seu alias occupationes tepe-

tepeſcat, continuè reaccendamus, ſicut juſſit Dominus Moyſi dicens: *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet, quem nutriet ſacerdos in altari, ſubiijcens mane ligna.* Ignis eſt devotionis fervor, qui ſemper in altari cordis ardere debet, quem ſacerdos devotus ſemper, ſubijciendo ligna Divinæ laudis, debet nutrire, ne aliquando extingvatur. Unde dicit Pſalmiſta: *Benedicam Dominum in omni tempore, &c.* *Levit. 6. a* *Pſal. 33. a*

Quartò, ut ſimplices fideles, qui per ſe neſciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis ſtudium aſſveſaciamus, ut ſaltem tunc ad Eccleſiam oraturi conveniant, quando ibidem Divinæ laudis officia perſolvuntur & ut minus afficiantur tædio, ibi perſiſtendi, quamdiu coram ſe vident clericos celebrare Divina. Unde in Luca dicitur: *Omnis multitudo populi erat foris horâ incenſi.* Multi enim rudes vix unquam ſe orationi offerrent, ſi foris non certis temporibus in Eccleſiam ex conſvetudine, ad Divinorum celebra- *Luc. 1. a*

lebrationem, & verbi Dei recitationem, ordinariè vocarentur.

Quintò propter decorem religionis Christianæ: quia decens est & congruum, ut si Judæi & gentiles & quidam hæretici quandoque conventicula sua faciunt, & sua profana ibi commercia celebrant, & ritus suæ perfidiæ observant; multò dignius, qui vera & Sacrosancta habent Sacramentorum mysteria ad ea celebranda & veneranda sæpè conveniant, & debita Conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus & gratiam Dei ampliorem merentur, & vitam æternam, & quibus alliciantur simplices ad religionis Sanctæ reverentiam & amorem. Pro-
Eccl. 47. b pter quod scriptum est: *Dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora &c.* Inter omnes ergò exteriores observantias major debet diligentia Divino officio adhiberi, ut sicut dictum est, ordinatè fiat, strenuè & devotè. Alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo, & intēdimus Deo, & allo-

quimur

quimur eum & nos ipſe, ſimul & pro noſtris neceſſitatibus ejus auxilium poſtulamus.

Specialis devotio conſiſtit in orationibus privatis, in familiaribus vocalium orationum recitationibus, veluti Pſalmorum, lithaniarum, & aliarum orationum, quas in ſecreto quiſque per ſe extraordinariè ruminando perſolvit. Nam dicit Dominus: *Cum oratis, dicite: Pater noſter.* Item in ſacris meditationibus, cum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria, & miſerias, & futura ſupplicia, vel beneficia Dei generalia, ſeu ſpecialia, & Paſſionem Chriſti, & bonitatis ejus dulcedinem, & præmia repromiſſa, ut ex his concipiat devotionis affectum timoris, vel amoris Dei, deſiderij, mæroris, vel gaudij ſpiritualis, juxta illud: *Meditatus ſum nocte cum corde meo, &c.* Item in pijs erga Deum affectibus, & lacrymis, & ſuſpirijs & ſanctis deſideriis amoris, & alijs internis & ineffabilibus motibus cordis, in jubilis, exceſſibus, & raptu,

Mat. 6, b

Pſal. 76. b

ptu, & absorptione spiritûs in Deum quo adhærens Deo, unus sit Spiritus cum eo per puræ intelligentiæ lucem, & cognitionem Dei & amoris ejus ardorem, & glutinosam fruendi inhæsionem. *Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

1. Cor 6. d

Quòd si prælatus præpeditur à variis curarum distractionibus, speciali devotioni sæpiùs intendere; saltem interdum, cùm opportunè videlicet, quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferat; nè omnino refrigescat, nè in dissvetudinem orandi veniat, nè Deo alienus efficiatur, nè gratia Divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cum per populi negotia exteriùs vexaretur, crebrò in tabernaculum fœderis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur. Dominus quoque diebus prædicans turbis, noctibus in orationibus solus pernoctavit. Et licèt parva detur mora prælato orandi,

Rom. 8. c

Luc. 6. b

randi, tamen quia pro alijs debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia, ut quibus prodest, tantùm non negligat quærere, nec abijciat, cum offertur, nè ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur, assidua devotio semper ei debet adesse, sicut ex quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute. Et ipsa triplex est. Una est jugis memoria Dei, ante oculos cordis. Undè dicitur: *Previdebam Deum in conspectu meo semper* & alibi: *Oculi mei semper ad Dominum.* In omni loco & tempore semper debet homo studere Deo intendere, quasi sit coram eo per mentis intuitum. Undè solebant dicere Elias, & Elisæus: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto.* Sicut enim Angeli quocunque mittantur tamen à Divina contemplatione non recedunt; ita homo, virtutis pro suo posse, semper Dei memoriam à suo corde non removeat. Unde si aliquando contigerit, semetipsum inde redarguat. Nam dicit Bernardus

Psal. 15. b *Psal. 42. e* *3. Reg. 18. e*

Omne

Bernard: lib: Med: Cap. 6 post med. *Omne tempus quo de Deo non cogitas, puta te perdidisse.* Nam etsi profundè non possis cogitationem tuam semper in ipsum defigere meditando cordis intuitum in eum dirige, cum datur opportunitas, ipsa memoriam in meditationem seu orationem formetur, sicut qui materiam formandæ imaginis secum circumfert, ut cum habuerit opportunitatẽ aliquid in ea sculpendo operetur.

Secundum devotio. Alia est continuum studium Deo placendi omni actione, vel locutione, ut semper quasi in ejus præsentia caveat, undè ei displiceat, & doleat, si fortè, fecerit & studeat in quo & qualiter ei possit magis placere, dicebat enim Apostolus: *Contendimus sive absentes, sive præsentes* 2. Cor 5. b *placere illi.* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Semper enim debet religiosus se gerere, quasi in proximo sit tribunali Luc. 12. e summi Judicis præsentandus: *Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet* dicebat Dominus discipulis suis; Omnia nostra videt, quæ

quæ facimus, & ſicut non obliviſcitur bonorum operum, ad præmiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum niſi per pœnitentiam diluantur. Undè peccator, contemnens animam ſuam, dicit in Eccleſiaſtico: *Nemo circumſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus ejus, &c.* Eccl. 23. c

Tertia eſt, omnia agenda oratione ſaltem mentali prævenire, ad omnes eventus oratione ſe præmunire, omnia beneficia gratiarum actione proſequi, ac laude Divina, agenda petat à Domino ſibi ſalubriter inſpirari, eventum dirigi ad ſalutis profectum, beneficia augeri, & conſervari. Sicut enim nauta prævidens tempeſtatem, feſtinat ſæpius ingredi portum ſecurum, ita religioſus ad orationis portum continuè confugiat, ubi omnes periculorum colliſiones evadat, & in omnibus agendis ſemper plùs orationi fidat, quàm propriæ induſtriæ, vel labori. Tertia dev:

2. Undè scriptum est: *Cum ignoremus,*
Par. *quid agere debeamus, hoc solùm habemus*
2. *residui ut ad te oculos nostros dirigamus,* videlicet in oratione: Et Psalmista:
Psal. *Sicut oculi servorum in manibus domi-*
122. *norum suorum, &c.* His igitur & a-
a lijs pennis Ecclesiasticus Seraph: id est, Prælatus Spiritualis, Domino sedenti super solium excelsum & elevatum, ornatus assistat: quarum primas duas super caput elevet, medijs duabus corpus & pedes contegat, ultimis duabus in latum & altum volet: ut zelum ejus non humanæ laudis fervor deprimat, nec compassionem ejus carnalis inclinet affectus, sed sursùm recta intentio sustollat, & fraternæ charitatis pietas in altum erigat, propter retributionem supernam, juxta illud: Psalmi-
Psal. stæ: *Inclinavi cor meum ad faciendas,*
118.c *& c.* Patientia verò, & vita exemplaris contegant eum à perturbationum jaculis, & à nuditate inopiæ meritorum, quibus quasi armis defendatur, & quasi sacris vestibus a-
Isaiæ dornetur. Undè ait Isaias: *Induere*
52. 4 *forti-*

fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ. Circumſpectione verò ubique circumvolet, videndo quid, & qualiter ſit agendum, & devotionis ſtudio quæ ſurſum ſunt, quærat, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens ſublimi volatu, ad ipſum accedens. Licet autem omnes, qui præſunt animabus, has virtutes non poſſunt omnes æqualiter habere, tamen omninò neceſſarium eſt eis, aliquatenus non carere tam pro fructu ædificationis illorum, quibus præſunt, quàm propriæ ſalutis profectu. Quilibet etiam religioſus, qui ſeipſum habet regere, & de ſui ipſius regimine rationem eſt DEO redditurus in extremo examine, his alis & pennis, quantùm ſibimet indiget, oportet adornari, & in ſuperna ſublevari, ut ſit fervens in juſtitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in adverſis, bono exemplo alios ædificans, circumſpectus in omnibus, & ſuper omnia Deo per orationis ſtudium familiariter adhærens, qui eum in omnibus *Col.* 3.

protegat, dirigat, & promoveat, & tandem ad Cæleſtia evolare faciat. Quod nobis præſtare dignetur JESUS CHRISTUS, Amen.

LAUS DEO.